



D  
008

(Alte Ms. 393.)

Sammlung von 57 Schriften theol.,  
philos. u. juriist. Inhalts.

von Meier, J. Th.

P.VII. 89.



A  
DISPUTATIO PHYSICA

*De*

ANIMA RATIONALI,  
*Quam*

D. T. O. M. A.

*SUB PRAESIDIO*

DN. HENRICI IVLI Scheurl,  
OPT. ART. MAG. MORALIVM CI-  
VILIVMQVE PROFES. P. ET FACVLTATIS

Philosophicæ hodie Decani, Præceptoris  
ac Promotoris sui omni obſervantiâ  
æternum colendi

*IN ILLVSTRI IVLIA*

*Publicè defendet*

HECTOR CONRADI, VL-  
tzenſis Lunæburgicus,

*AVCTOR & RESPONDENS,*

*In Majori Iuleo*

Horis ante & pomeridianis

*Ad diem XXI. Decembris*



HELMÆSTADI,

*Typis Hæredum IACOBI LVCI,*

Anno dC L c XXXIX.

SER<sup>MO</sup> AG REV. PRINCIPI AC  
DOMINO,

DN. FRIDERICO,  
DVCI BRVNNSVICENSIVM AC  
Lunæburgensium, Coadjutori Race-  
burgensi & Præposito Bremensi, Domi-  
no suo clementissimo:

**A**NNVS secundus jam agitur, Illust. Prin-  
ceps, ex quo pulverem scholasticum reliqui,  
in Illustrem Iuliam ad mercatum bona-  
rum Artium sum profectus. Ab eo tempore nihil præ-  
termisi eorum, quæ ad comparandam bonarum Artium  
supellecilem, quibus cum lacte nutricis deditus fui, &  
mores rectius informandos, pertinere videbantur. Id-  
que feci non tantum, ut Avi jam morti ob ingravescen-  
tem ætatem vicini Amicorumq; honestæ expectationi  
satisfacerem; sed vel maximè, quod ingenuas Artes  
dignas judicarem, in quibus discendis ipse quasi flos æ-  
tatis cum annis subsequentibus consumeretur, Semper  
enim in hâc sententiâ fui cum doctâ & venerandâ an-  
tiquitate: Bonas Artes inter optima DEI dona esse  
habendas, earumq; studium non solum esse jucundum &  
liberali homine dignum; verum etiam adsa pientiam  
& pru-

¶ prudentiam, quæ duo sunt intellectus humani quasi  
lumina, comparandam admodum utile, immo necessarium.  
Fatendum quidem est, illas à pluribus, multis re-  
tro seculis, partim barbariei cœno esse inquinatas, par-  
tim falsorum dogmatū tenebris obscuratas; verum quæ  
vitio hominum, fortè etiam temporū fiunt, illa non ipsis  
Artibus imputanda: multò minus eadem illæ in odium  
studiosorum vocandæ, aut omnino in exilium pellendæ;  
quin potius ingenii nervi intendendi, ut omnia depura-  
ta nativæ formæ restituātur. Inter has ipsas autem Ar-  
tes cum non ultimas sibi partes vendicet scientia rerum  
naturalium, quam scholæ philosophantium communis no-  
mine Physicam solent appellare, non parvum operæ pre-  
tium me facturum esse existimavi, si quantum ingenii  
vires etatisq; ratio permetterent, publicam quandam ex  
illâ haberem disputationem. Itaq; per paucis abhinc die-  
bus hunc honestum laborem, quamlibet durum & hu-  
meris meis ferè imparem, alacri animo suscepi, susce-  
ptumq; di vini Numinis auxilio ad finem perduxī:  
Cogitanti autem mihi cui hos studiorū meorum fructus  
offerrem nemo ex omnibus, præter Vam. Illustrissime  
Princeps, Celsitudinem occurrebat, quæ hanc præro-  
gativam suo quodammodo jure sibi vendicaret. Gra-  
tâ enim mente recolo clementissimam voluntatem, quâ  
V. Cels. unâ cum Serenissmis Fratribus parentem  
meum pie defunctum est prosecuta. Quam gratiam  
& benignitatem nisi ego quoq; meis studiis servitiisque  
vicis-



vicissim humiliter demereris studerem, minime ingratitudinis notam subterfugere possem. Cum autem obtinuitatem meam nulla alia declarandæ gratitudinis media haberem, præsentes has à me conscriptas theses Cels. Vestræ dedicare volui, humiliter & obnixè rogans, ut pro innatâ suâ ac planè heroicâ humanitate hoc munusculum, tanquam publicam mei erga se cultus tesseram, sereno vultu respicere meque una in suam protectionem suscipere dignetur. Quod si in hac re favoris ipsius auram sua piter mihi aspirare sensero, efficiam cum Deo, ut Cels. V. yberiores aliquando studiorum meorum fructus consequatur. Quod superest, Deum veris animi gemitibus invoco, ut Serenissimam Brunsuicensium & Lunæburgensium Domum, Martiis hisce temporibus, ab omnibus infore uniorum telis conservet, ac tandem nobis omnibus diu sperata Halcionia clementer largiatur in Ecclesiæ, Reipublicæ, ac Academiæ nostræ emolumentum. Datum in Illust. quæ est ad Elmum Academiâ, die XIIIX. Novembris, Anno CIJ IJ c XXXIX,

Celsit. Vestræ subiectissimus

HECTOR CONRADI,  
Vltz. Lunæb.



## THEISIS I.

I id, quod res est, dicere voluerimus, omnino fatendum erit, doctrinam de animâ rationali inter omnes ferè Philosophiæ partes, cùm ob rerum in quibus versatur, excellentiā, cùm ob earundem utilitatem, eminere.

II. D. Augustinus *II. de ordine c. 18.* hac de re inquit: *Duplex Philosophia est quæstio; una de animâ, altera de Deo. Prima efficit, ut nos ipsos noverimus; altera, ut originem nostram: illa nobis dulcior, ista charior est; illa nos dignos beatâ vitâ, beatos hæc facit. Prima est illa discen- tibus, ista jam doctis. Hic est ordo studiorum sapientiæ, per quem fit quisque idoneus ad intelligendum ordinem rerum i.e. ad dignoscendos duos mundos, & ipsum parentem universi- tatus &c.*

III. Atque hæc causa est, cur Aristoteles tam operosè hanc doctrinam pertractet; ut cuivis librum præcipuè tertium Aristotelis de Animâ per transen- nam inspicienti facile patebit. Id quod Themistius his testatur verbis: *Cùm pleraque omnia Aristotelis scripta ejusmodi habeantur, ut demirari ejus præstantiam facile suppetat: nulla profectò commentatio est, in quâ ille perinde ingenij sui vim ac sublimitatem ostenderit; atque in ea, quâ rationem animæ explicat: sive enim multitudinem quæstio-*

A

num,

num, sive copiam rerum pulcherrimarum, sive doctrinæ subtilitatem queras, ejusmodi sunt libri de anima, ut unius hominum omnia, quæ ad hoc genus pertinent, in numerato fuisse constitisseq; videantur.

IV. Hæc cùm ita sese habeant, non alienum nos ab officio nostro facturos, nec parvum operæ pretium laturos esse existimamus, si pro modulo nostri ingenij nonnihil temporis in eâdem cognoscendâ ponamus.

V. Ut autem eò melius in Animæ rationalis Naturam, essentiam sive quidditatem perveniamus, statim ab initio inquirenda nobis erit ejus definitio. Quam quidem nos vestigijs Aristotelicæ doctrinæ, quæ magis veritatem sapere videtur, insistentes hanc ponemus: *Anima rationalis est actus primus substantialis corporis organici spiritualis & immoralis, quo intelligimus & volumus.*

VI. Ad intelligendam hanc definitionem, singulæ ejus partes erunt examinandæ, ut Philosophus lib. II. posterior. Analyt. c. 14. videtur admonuisse. Dicitur Anima rationalis, *actus èντελέχεια*, latè voce illâ acceptâ, ita, ut primariò actus substantiales, secundariò accidentales includat; ad excludendam nimirum 1. materiam primam, quæ secundum se non est hoc aliquid, ut Philosophus loquitur, &c. 2. composita physica, quæ non simpliciter sunt actus. Dicitur, *primus*; ad excludendos actus secundos, qui sunt operationes & accidentia. Oportet autem animam esse actum primum, cùm ab ea interdum sit vigilia i.e. operatio vitæ, interdum somnus i.e. cessatio ab operazione. *substantialis*; ad removendos actus primos accidentarios, cujusmodi sunt potentiae respectu actuum, quæ

quæ secundariò & per accidens saltè dicuntur actus.  
Corporis; ad excludendas substancialias incorporeas, quæ  
non insunt corporibus, & nihilominus tamen sunt  
actus. Organici; Anima enim rationalis nullius corpo-  
ris actus est, nisi id ipsum sit affectum organis ad fun-  
ctiones vitae rectè obeundas. Spiritualis & immortalis;  
ad differentiam reliquarum animarum quæ sunt cor-  
poreæ & mortales. Quo intelligimus & volumus; Ani-  
ma enim rationalis est intellectio & evolutionis prin-  
cipale principium, etiam si intercedentibus alijs quo-  
que facultatibus hì actus exerceantur.

VII. Notandum, ab hâc definitione excludi, non  
tantum animam vegetativam & sensitivam in plan-  
tis & animalib⁹ brutis ut paulò antè monuim⁹; sed et-  
iam omnes formas naturales rerū inanimatarū, ut for-  
mam ignis, aëris, aquæ, lapidis: quarū corpora, sive, ut  
proprie loquamur, materiæ ad exercenda vitae munia  
instrumentis sive organis distinctæ non sunt. Deinde  
removentur etiam ab hâc desinitione formæ cadave-  
rū. Oculi enim, pedes, aliaq; id genus instrumenta, quæ  
in ijs apparent, non univocè ampli⁹, sed analogicè tan-  
tum, imò æquivocè, si rem rectè putemus, cum orga-  
nis viventium convenient, ut Arist. lib. II. de Animā  
c. 1. & lib. VII. Metaphys. c. 10. ostendit.

IX. Vidimus hactenus Animæ rationalis defi-  
nitionem, progrediemur jam ordine, & ostendemus  
primò; Animam rationalem esse veram hominis for-  
mam informantem, non assistentem, sicuti nauta as-  
sistit navi, dum eam dirigit. Contrarium Averroës  
affirmare videtur, quando ita scribit in commentario  
suo V tertij lib. de Animā. Nomen actus de anima rationa-  
li, & alijs partibus animæ dicitur ferme æquivocè; quoniam

A 2 de ani-

de animâ vegetativâ & sentiente significat formam informantem de rationali verò significat non informantem, sed assistentem solum: Et Alexander Aphrodisæus, qui & ipse intellectum aliquem unum extra hominem ponit, eumque vult esse primam Intelligentiam seu omnium rerum causam DEVM.

IX. Hanc sententiam nos cum D. Thomâ, & alijs Peripateticis absolutè, & secundum rem ipsam, existimamus esse falsam: Argumentamur autem in hunc modum ex D. Thomâ *in context. septimum. III. lib. de Anima*: Si anima rationalis sive intelligens non daret homini esse specificum, sed ei saltem asisteret ut nauta navi, sequeretur, hominem non rectè dici posse intelligentem. Atqui absurdum posterius, E. & prius. Conseq. mai. patet: quia si Anima est in homine quemadmodum nauta in navi, ergo, quemadmodum nauta speculatur in navi, neque ob id navis speculari dicitur, ita intellectus in homine intelligeret, ut homo tamen non diceretur intelligens.

X. Si intellectus non est forma hominis, sed ex operatione homo dicitur intelligens, sequitur, intellectu actionem transeuntem. At posterius est absurdum. E. & prius. Minor omnium Philosophorum consensu vera habetur. Conf. Maioris probo per ipsam comparationem, quâ Averroës, & alij cum ipso utuntur, intellectus cum nautâ: actio, quâ nauta movet navim, est absque dubio transiens, quia nauta non est forma navis informans, sed est substantia distincta à substantiâ navis: Similiter igitur si ex actione intellectus assistentis homo dicitur intelligens, ita intellectio erit actio transiens, quod falsum est, ut ostendimus.

XI. Nec

XI. Nec audiendus est hoc loco P. Pomponius, qui secundum saltem Philosophiam verum id esse adseverare ausus est. Ob quod facinus à Leone X. in concilio Lateranensi remere Philosophantibus annumeratur, atque his perstringitur verbis: *Contra huiusmodi pestem opportuna remedia adhibere cupientes, hoc sacro approbante concilio, damnamus & reprobamus omnes asserentes animam intellectivam mortalem esse, A V T V N I C A M I N C V N C T I S H O M I N I B V S.*

XII. Quæri porro solet inter Philosophos, cùm anima rationalis sit forma informans hominis, sitnè substantia vel accidens? Quòd sit substantia nemo negavit, præter nonnullos ex veteribus physicis, qui præter materiam primam nullum rerum naturalium principium admirerunt. Quamvis non ignoremus etiam nonnullos reperiri, qui Platonii hunc errorem attribuant, ex eo, quòd in Timæo animam rationis & intelligentiæ participem numero comparârit.

XIII. Nos contra illos unicum argumentum afferemus: Si forma hominis est accidens, sequitur materiam esse præstantiorem formâ: Atqui absurdum posterius. E. & prius. Minor patet quia materia est pura potentia, quæ seipsum determinare non potest. Forma vero est actus, qui materiam determinat, & in certâ specie constituit. Conseq. probatur: quia materia non est accidens, sed substantia, cùm sit primum cuiusque rei subjectum.

XIV. Demonstravimus animam rationalem esse substantiam, proximum est ut cujusmodi substantia sit, videamus. Philosophorum nonnulli, cùm ultra materiam & ea, quæ sub sensu cadunt, rudioribus istis seculis, mentis aciem efferre non possent, in hoc

erroreversati sunt, ut præter materiam & corpus nihil substantiæ dari posse crederent, ac proinde animam vel corpus vel materiam faciebant.

XV. Quod anima neque corpus neque materia sit hunc in modum demonstrabimus: Si anima hominis est materia, sequitur, eandem esse puram potentiam. Atqui falsum posterius. E. & prius. Consequentia est manifesta. Minor probatur hunc in modum: Pura potentia est expers omnis activitatis, nec potest principium esse actionum, forma rationalis actuat materiam sive corpus. E. forma non est pura potentia.

XVI. Elegans hâc de re locus est apud Philosophum IX. Physicæ Auscultationis. l.c. 4. quando inquit: Omne corporeum, quod moveat seipsum, duobus consite necesse est: uno, quod moveat, & non moveatur: Altero, quod non moveat, sed moveatur: Sed animal moveat se, & movens in ipso est anima. quod autem moveatur est corpus, igitur anima non est corpus.

XVII. Hic etiam sese offert Galeni error, in quem inciderunt non pauci ex hereticis, inter quos Carpocrates, & alij, quando in libro, cui titulus, quod animi mores temperamentum sequantur scribit id, quod apud Platonem Socrates reprehenderat in Phædone: animam esse primarum qualitatum temperiem; et si alij eum secus putasse dicant; vel saltèm adeò fuisse eum in hâc parte dubium, ut non haberet sibi constitutum, in quam sententiam descenderet.

XIX. Quæcumque tamen ejus mens fuerit: Nos in contrariam partem ita argumentamur: Si anima rationalis est forma hominis, sequitur, eadem non esse temperamentum. Atqui prius est verum. E. & poste-

postetius. Conseq. probatur: quia temperamentum est accidens, seu potius multa accidentia, videlicet quatuor qualitates ad symmetriam deductæ, anima vero est substantia, quia rem in certâ specie constituit, quod accidens facere non posse.

XIX. Si functiones ab animâ rationali procedentes sunt altioris naturæ, quam quæ à temperamento, sequitur animam rationalem non esse temperamentum. At prius est verum. E. & posterius. Anteced. probo: quia actus intelligendi, volendi &c. sunt altioris conditionis, quam calefactio, refrigeratio, humectatio &c. Conseq. Majoris: quia operatio arguit formam. Rectissimè igitur de Galeno Isiodorus lib. IV, ep. 125. De curatione corporum, inquit, quoniam in hac arte excellens fuit artifex vir ille, lequatur sane suo arbitrari: de animâ vero cum sapientibus certamen ne suscipiat, neque descendat in luctam, ad quam neque est exercitatus, neque præmeditatus.

XX. Supereft ergo, animam nostram esse substantiam spiritualem. Hanc sententiâ unico confirmabimus argumento desumpto ex D. Thomâ II. contra genes c. 73. hunc in modū: Ut unumquodq; operatur ita est: Atqui anima intellectiva habet operationes elevatas supra Naturâ & conditionē corporis & materiæ. E. anima intellectiva nō est corporea & materialis, sed incorporeæ & imaterialis. Major nullâ indiget probatione vulgare enim est, operationem arguere formam. Minor tum ex parte intellectu, tum ex parte voluntatis probatur: Ex parte intellectus: is enim percipit res communes & abstractas à materiâ singulari: quodverò materiale est, sicut est crassum & limitatum, ita nihil nisi materialium & corporeum percipit. Item intellectus format conce-

ptus



ptus rerum immaterialium, ut Dei & intelligentiarum, easque percipit omni dimensione liberas, sine figurâ, colore, & alijs corporeâ molis affectionibus. Ex parte voluntatis: Hæc enim studio & amore honestatis appetitum sensitivum in materiâ inhærentem refrenat, unde altioris & excellentioris conditionis eam esse necessum est.

XXI. Hoc ipsum quoque probatur D. Ambrosii testimonio qui *in libro de Noe & arcâ* ait: Animam rationalem divinum quendam Spiritum esse: id verò probat ex c. 1. Genes. ubi dicitur: Deum inspirasse Adamo spiraculum vitæ i. e. Spiritum corpus vivificantem. Quòd si ex sacro codice ad hanc rem facientia adducere voluerimus, nihil profectò facilius fuerit, quam incredibilem impietatem ostendere eorum, qui inter Christianos eam negare fuerint ausi.

XXII. Pervenimus jam ad nobilem illam quæstionem de animæ rationalis origine, quæ admodum obscura semper habita fuit non tantum inter Ethnicos Philosophos; sed etiam apud nos, quibus cœlestis doctrinæ lumen affulsit, ut D. Augustinus *in lib. de Origine Animæ rationalis* fatetur.

XXIII. Tres planè diversæ de Animæ rationalis origine nobis occurruunt sententiæ: *prima* statuit, animâs rationales more aliarum formarum ex semine propagari i. e. in earum productione concurrere materiam, tanquam subjectum, è cuius sinu educantur. *Secunda* statuit: Animas rationales creari quidem, non autem à Deo, sed intelligentijs, in quo errore post alios Avicennam fuisse, à nonnullis asseveratur. *Tertia* denique statuit; illas nec per traducem propagari, nec ab intelligentijs creari, sed à Deo ipso.

XXIV. Prio-



**XXIV.** Piores sententias minimè probabiles esse judicamus, freti rationibus ab ipsâ animæ rationalis naturâ deductis; ac proinde tertiam, tanquam magis probabilem, accipimus, quâ statuitur, animas rationales foris venire & à Deo creari.

**XXV.** Antequam afferamus argumenta pro nostrâ sententiâ, adscribemus locum quendam de sumptum ex philos. lib. 11. de Generat. Animal: c. 3. qui instar multarum rationum nobis ad hoc negotium sufficere possit. Ita autem inquit: λέπεται τὸν νοῦν μόνον θύρας ἐπεισένει, καὶ θεῖον εἶναι μόνον. οὐ δὲ γὰρ αὕτη τῇ ἐνέργειᾳ κοινωνῆ συμαπνή ἐνέργεια: h.e. Sequitur ergo, mentem solam exirinsecus advenire, eamq; solam divinam esse: nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis.

**XXVI.** Nunc contra primam sententiam ita argumentamur: 1. Si nulla virtus activa agit ultra suum genus, sequitur virtutem corpoream, qualis est in semine, animæ rationalis effectionem non posse attingere. Atqui prius est verum. E. & posterius. Anteced. patet ex vulgato isto: Nulla causa efficiens agit ultra sphæram suæ activitatis. Consequentiam Majoris nemo negare potest, nisi simul concedat illam opinionem absurdissimam, animam rationalem esse corporeum quid, quam paulò ante refutavimus.

**XXVII.** 2. Omne agens naturale, sicut agit dependenter à materiâ, ita nec producit, nisi quod à materiâ dependet: Atqui anima rationalis non dependet à materiâ. E. Anima rationalis non producitur ab a gente naturali, sed habet aliam suæ originis causam.

**XXIX.** Contra secundam sententiam, quâ statuitur, Animas rationales ab intelligentijs creari, quod absurdissimum esse putamus, ita argumentamur:

B                   Si a-

Si animæ rationales producuntur ab angelis, sequitur  
Angelos posse creare. Sed absurdum est posterius.  
E. & prius. Minor probatur: quia creare est produ-  
cere aliquid ex nihilo i.e. nullo præsupposito subiecto,  
omnes autem causæ secundæ prærequirunt subje-  
ctum in quod agant. Conseq. patet: quia animæ  
nullo alio modo possunt produci, quam per creatio-  
nem, cum spirituales sint, & ab omni materialitate  
(liceat jam nobis ita loqui) longissimè remotæ.

VXIX. Restat ergo tertia, quæ nobis maximè  
probabilis hactenus visa fuit: pro quâ unicam hanc  
rationem nunc quidem adducemus; Si animæ ratio-  
nales neque per traducem propagantur, neque ab in-  
intelligentijs producuntur, sequitur easdem à Deo  
creari. Atqui prius est verum. E. & posterius, An-  
teced. antea demonstravimus. Conseq. patet: quia  
quartus modus ne fingi quidem potest, quo suam ac-  
cipiat existentiam anima rationalis. Non adferemus  
hoc loco autoritates Patrum, quorum plerique adeò  
nobiscum conspirant, ut rectè dictum sit à D. Hiero-  
nymo: Ecclesiasticam prorsus esse, quam nunc tue-  
mur, sententiam. Theologis autem considerandum  
relinquimus, annon pro nostrâ assertione faciat insi-  
gnis ille ex Epistola ad Hebreos locus cap. XII. o? Deinde  
corporum nostrorum patres habuimus castigatores & eos reve-  
ritis sumus: annon multò magis subjiciemur P A T R I S P I R I-  
T U V M , & vivemus? In messem enim alienam haud li-  
benter nostram immittimus falcem.

XXX. Nequaquam autem hæreses damnabi-  
mus eos, quibus prima opinio magis placet; quòd cer-  
tum sit, optimos illos piissimosque viros ex animo  
mortalitatem animæ nostræ detestari, quantumvis,

stante



stante ipsorum sententiâ, difficulter admodum defen-  
di ea possit: Quòdq; aliæ difficultates eos torqueant,  
quas superare non est cuivis datum.

XXXI. Quin, ignorantiam potius nostram  
confitebimur, quām contentionis ferram cum quo-  
quam mortalium reciprocabimus, & Augustini illud  
*ex lib. IV de erig. An. c. 4.* usurpabimus: Si est (hæc  
scilicet cognitio) ex illis alioribus, quæ inquirere scru-  
riq; prohibemur, timendum est, ne peccemus, non ignorando  
hoc, sed querendo. Et illud ad Hieronymum ejusdem  
*ex epist. 28.* Quum quidam ruisset in puseum, ubi aqua ran-  
sa erat, ut eum magis exciperent, nemorarentur, quām suffo-  
carent, ne loqueretur, accessit aliis, & eo viso admirans ait:  
Quomodo huic recidisti? At ille: Obsecro, inquit, cogita,  
quomodo hinc me liberes, ne, dum quaris quomodo huc cecide-  
rim, suffocer limo, &c. Et ad Optatum: Si ergo anima la-  
teat, inquit, dum tamen redemptio clareat, periculum non  
est. Neque enim in Christum credimus, ut nascamur, sed  
ut renascamur, quomodo cunque nati fuerimus.

XXXII. Cæterum, relictis varijs de animâ ra-  
tionali, ijsque jam dudum explosis, erroribus, prius-  
quam ad facultates ejus descendamus, præmittendæ  
erunt adhuc duæ quæstiones, de quibus magna sem-  
per inter philosophos fuit controversia: prima est:  
utrum animæ rationales ad numerum hominum mul-  
tiplicantur, an non? Secunda: an eadem rationalis  
anima tota sit in quâlibet corporis parte, nec ne?

XXXIII. Primam quod attinet quæstionem:  
sciendum, de illâ tres Philosophorum esse sententias:  
prima est Empedoclis, Pythagoræ, & aliorum, qui  
absurdam quandam μετεμψίχωσιν i.e. transanimatio-  
nem induxerunt, asserentes, hominum animas, cùm

B 2 ab u-

ab unius corpore excesserint, in alia corpora statutis annorum temporibus demigrare, non hominum tantum, verum & pecudum. Hinc Empedocles in carmine quodam canit, *se piscem fuisse olim.* Inde quoque Pythagoras magnum scelus esse, ajebat, *vesci per cerum carne, ne forsan bubulam de aliquo proavo obsonarent.* Secunda est eorum, qui putant, unicam saltēm dari animam rationalem, quæ omnibus hominibus assistat, ut solis lumen toti mundo. Ita statuit Arabs ille, quando dicit: *unicum tantum dari intellectum, separatum quidem re ab omnibus, sed eisdem accidentem per imagines, quæ in cujusque phantasiâ resident.* Tertia est, quæ statuit, easdem pro numero hominum multiplicari: & hæc est vera sententia, nec ab ullo saniore philosopho hacenius negata.

XXXIV. Primum sententiam, utpote jam dum explosis, ut jamjam loquebamur, anumerandam, refutatione prorsus indignam judicamus. Idque jam olim antiquos etiam factitasse philosophos, historia omnis evincit. Luciani certè (quantumvis blasphemii ac prorsus athei) dialogus, cui Somnio vel Gallo nomen fecit, sine summâ jucunditate de stolido isthoc errore non legitur. Contra secundam (et si jam supra thesi iix. & seqq. refutatain) ita jam ex abundantia argumentamur: Si una cunctorum hominum foret Anima, omnes illi contrarij actus inessent: Sic enim conveniret ei scientia & error: eadem vitiorum labore commaculata esset, & virtutum nitore splendoreret: sequeretur denique eadem absurditate, unam animam omnium scelerum, quæ unquam ab hominibus perpetrata sunt, esse ream, itemque eandem numero animam ob recte facta esse laudandam. Quæ omnia

omnia cùm omnem absurditatem etiam absurdissimam superent, verissimam esse sententiam tertiam, quæ nostra erat, indubitatum relinquitur.

XXXV. Secundam quod attinet quæstionem, sciendum, nec de eâ inter veteres convenisse. Quidam enim animam in capite, veluti in arce, constituerunt. Stoici in corde, vel in Spiritu circa cor. Epicurus in toto pectore. Alij in abdito quopiam loco, è quo, quasi aranea, pro rerum opportunitate per totum corpus discurreret. Nos eam in totâ, & totam in quâlibet parte esse, affirmamus; quod probamus hoc argumento: Si anima rationalis est indivisible & spirituale quid, sequitur, eandem, ubi est, ibi esse totam. At prius est verum. E. & posterius. Conseq. patet: quicquid enim indivisible est illud in partes dividi non potest: est enim contradic̄tio in adjecto, aliquid esse indivisible, & tamen in partes dividi posse,

XXXVI. Expeditis jam, quæ ad animam rationalem pertinent; prout illa principium corporis animati, & forma ipsum constituens est; consequens est, ut ea aggrediamur, quæ ad illam pertinent, prout principium est operationum: his enim duobus modis ipse etiam philosophus animam rationalem considerat. Et certum est, solidisque rationibus ab Aristotele comprobatum, duas esse in animo nostro potentias, à quibus omnes in universum actiones humanæ, quatenus tales, per se atque immediate dependeant: quarum altera intellectus, altera Voluntas appellari solet.

XXXVII. Harum discrimen oritur. I. ex diversis operationibus: Aliud enim est cognoscere; aliud est res cognitas appetere, vel in eas ferri. II. Ex

B 3                  divre-

diverso modo operandi: Intellectus enim operatus quasi patiendo & recipiendo species à phantasiâ, per quam receptionem dicitur fieri res ipsæ: objectum igitur ut cognoscatur, necesse est, ut ad animam feratur: Sed in volendo trahitur potius mens ad prosequendum objectum.

XXXIX. De utrâque facultate singillatim jam aliquid erit dicendum, initio facto ab intellectu: quem cum doctissimis quibusq; Philosophis duplicem statuimus: agentem alterum, alterum patientem. Cùm autem ille hoc & naturâ & officio prior sit, primò omnium etiam jure meritô nobis explicandus erit.

XXXIX. Dari autem in animò nostro intellectum agentem in hunc modum ex sententiâ peripateticorum probamus: Id, quod est in potentia, eget aliquo, à quo in actum deducatur. Cùm igitur intellectus possibilis sit in purâ potentia, necessario erit danda aliqua facultas, à qua ad intelligendi actum deducatur: hæc autem est intellectus agens: hoc est, ut rem enucleemus; Cùm intellectus possibilis sive patiens à principio sit veluti nuda tabula, nec ullam habeat rerum congenitam imaginem, cuius interventu intelligendi actum exerceat, nec verò ejusmodi imagines suamphantasmatis ministerio gigni queant, quia sunt alioris ordinis, nempe immaterialis, ad quem natura corporea via pertingere non valet, necessario danda erit aliqua spirituâlis potentia, cui id munus, tanquam principali animæ instrumento incumbat; ea verò potentia est intellectus agens.

XL. Ejus officium triplex esse putamus, ne frustra, vel præter necessitatem eum statui à nobis nostris que præceptoribus existimes: I. Illustrare phantasma. II. Efficere objectum intelligibile actu. III. p roducere in intellectu paciente species intelligibiles.

XLI. Quod

XLI. Quod ad primum attinet: Intellectus agens ideo comparatur lumini à philosopho *III. de Anima*: Quòd, ut lumen illustrando colores ex visibili quod est potentiam tantum, facit visibile actu: ita & intellectus agens phantasmata, quæ sunt tantum intelligibilia potentiam, faciat actu intelligibilia. Ad secundum: facit enim intellectus agens, ut representetur objectum in specie intelligibili, dum ita phantasmate illustrato speciem rei intelligendæ producit in intellectum patientem. Tertium à Secundo non multum est distinctum.

XLII. De intellectu paciente, vel, ut alias quoque vocatur, possibili illud imprimis quæri solet: utrum merè sit potentia passiva, an verò etiam activa dici possit? Respond. Posse intellectum possibilem conferri vel cum objecto, vel cum intellectione. Si cum intellectione conferatur, dicimus, ipsum se habere activè: ratio, quia intellectio est actio immanens, quod superius demonstravimus, quæ ab eadem potentiam, in quâ recipitur, elicere debet. Si verò cum objecto conferatur, dicimus, ipsum esse potentiam passivam duntaxat, quo sensu Philosophus dicit intellectu nostrum esse aliquid pati.

XLIII. Et quoniā aliquoties mentio facta est specierum intelligibilium, verbo monendum erit, quid per illas intelligamus. Nempe nihil aliud, quam imaginem rei intelligendæ, quæ in ipso intellectu, ab omni materiali abstracta percipitur. Intellectus enim patiens indifferenter se habet ad hanc vel illam rem intelligendam, debet ergo determinari & actuari ad intelligendum ab aliquâ formâ, cuius vi intelligendi actum promat.

XLIV. Re-

**XLIV.** Reliqua, quæ huc pertinent, siccō pe-  
de præteribimus, deoque alterā animæ rationalis  
facultate paucā dicemus. Est autem voluntas nihil  
aliud, quam animæ rationalis appetitus, vel inclina-  
tio quædam in objectum conveniens. Vnde etiam  
patet, ejus objectum tantum bonum esse, nec enim  
quisquam in malum quā malum ferri potest.

**XLV.** Actus Voluntatis duplex est: Vnus,  
quem immediate producit, sicut est velle, nolle, eli-  
gere. Alter, quem mediante aliâ potentia producit,  
ut intelligere, loqui, ambulare. Prior elictus, Po-  
sterior imperatus vocatur.

**XLVI.** Quod si quæras, quænam inter poten-  
tias animæ rationalis sit nobilissima. Respondebi-  
mus: Etsi parum discriminis ratione dignitatis ac e-  
minentiae hic reperiatur, ( ut in Morali philosophia  
pluribus demonstrari solet ) intellectui tamen aliquo  
modo prærogativam deferri posse. Idque ideo quod  
voluntas cœca sit potentia, nec in objectum suum fer-  
ri queat, nisi ab intellectu, tanquam consiliario & mo-  
deratore quodam suo, illustretur & dirigatur. Interim  
ad totam Rationem & utramque ejus potentiam illud  
poëtae commodissimè refertur: *Divisum imperium cum  
sove Cæsar habet.*

**XLVII.** Diximus, quid sit Voluntas, quotu-  
plex ejus actus; & ipsane, an intellectus ratione digni-  
tatis emineat? pergendum jam esset ad reliqua ad vo-  
luntatis Naturam explicandam pertinentia: dicen-  
dum enim esset; quomodo aliquid dependeat à Vo-  
luntate, sive quotupliciter dicatur voluntarium, prout  
est in homine; quarum rerum sit voluntas, quid mo-  
veat eam ad volendum; an, denique, vis ei fieri possit;  
verum



verum cum de his in Moralibus, ubi agitur de subiecto virtutum, de que principijs actionum humanarum tractetur, pluribus ea non persequemur. Verculo tantum monendum erit; facultatem hanc formaliter liberam esse, quod quilibet in se experitur, quamvis alii reclament, & eam libertatem intellectui transcribant.

XLIX. Sed cum voluntas sit indifferens, & ab indifferente non procedat actio, quaeritur, unde determinetur. Non necesse est, ut ad judicium practicum configiamus, quod determinare solet, ut volunt, voluntatem: est enim hoc judicium fastidium causa sine qua non, & voluntas determinat seipsum. Atque hoc modo simpliciter est libera, quod nulli potentia, praeterquam huic convenire certum est. Plura non addemus de libertate voluntaris, cum & in alijs scientijs de illâ agatur, nec propositum nostrum hoc patiatur. Agendum jam est nobis de animae nostrae immortalitate, de qua insgnis est in poëmatre admonitorie Phocylidis locus:

Τυχαιρδημινον ανηροι έν Φιδιφασι.  
Πενταγωράθεον ζενοις θηλειτην ειντοι.  
Σωμα γδ ιν γαινε έχουσι, η πάντες τε ουτοι.  
Αυτός παντίν ειδε, τις δι' αιδη πεντα δέδενται.

XLIX. Cui planè simile est illud etiam oraculi Apollinis responsum:

Αιδανος τη μέρι, ή γωνις δε φύτη θει,  
quod ex antiquorum monumentis eruditii addicunt. Nec dubium cuiquam esse potest, hanc ipsam animi humani immortalitatem omnes olim saniores Ethnicos docuisse, nisi quis forte prorsus sit hospes in optimorum autorum lectione.

L. Videatur Plato in Axiocho, Phædone, Phædro, Timæo, Philebo, & x. de Rep. sive de Iusto: Xenophon item in Cyropædiâ lib. II. ubi sapientissima Cyri jam morituri ad filios oratio habetur: Legatur Plutarchus, tum alibi passim, tum verò præcipue in oratione consolatoriâ ad Apollonium, quæ plurimorum veterum sapientum de hâc re sententias nobis proponit. Ac ne de Homero, Pindaro, alijsque Poëtis, ne de Cicerone item aut Seneca multa dicamus, vix sine stupore leguntur quæ de eâdem materiâ è gentilium scriptis Clemens Alexandrinus, Theophilus, Iustinus Martyr, Theodoreetus, Eusebius, Synesius, alijq; Doctores Ecclesiastici deduxerunt.

LI. Quin etiam barbaros & in his eos, quos in beluarum propemodum censum hebes natura redigerat, de animæ immortalitate non dubitasse, atque adeò de ejus post hanc vitam statu fuisse sollicitos. Reverendus admodum Clarissimusque Calixtus noster cap. 1. operis laudatissimi *de immortalitate Animæ & resurrectione mortuorum* ostendit, & adductis optimorum fideque dignissimorum autorum ipsissimis verbis assertionem suam prolixè satis confirmat: quò quidem lectorem hâs vice remittimus.

LII. Solus Epicurus & pauci quidam alij ex eodem grege porci in contrarium hîc iverunt, quorum stoliditas unamini huic reliquorum mortalium consensi tantò minus derogare debet, quantò magis omnem numinis cultum & reverentiam, omnesque virtutis, justitiæ & honestatis leges enervat, & tandem penitus evertit. Ut ita nihil magis dignum admiratione sit atque stupore, quam repertum esse seculo Christiano xv. hæreticum adeò stultum ( Hermanno Risvi-

Risvichio homini vix homiui nomen erat) qui, cùm animam cum corpore interire docuisset, vivus tamen exuri maluerit, quām tantæ stoliditati suæ renunciare.

LIII. Etsi autem Aristotelis illud jam supra thesi xxvi. allatum de origine Animæ effatum mirificè veritatem hanc confirmet; (ob quod etiam non solum *contextus* & *66. lib. i. de Anima* intellectum *in Phaedo* & divinum aliquid seu *anagōgē* esse dicit, sed etiam *III. cont. 4. 6. 7.* eundem neque mistum, neque corporeum, sed à corpore separabilem esse ostendit) solent tamen Philosophi paulò dilucidiūs ab ipsâ animæ rationalis operatione hanc ipsam arcessere & demonstrare.

LIV. Cujuscunque enim facultatis non sunt organicæ vel corporeæ operationes, sed spirituales; (ut jam supra quoque innuimus) quibus non solum corporea sed etiam incorporea & immateriata cognoscuntur, imò non raro contraria ijs quæ sensus tam interni quām externi dictant; ea non potest esse alia, quām immateriata & immortalis. Atqui tales sunt Rationalis Animæ operationes ut vel ipsa experientia contestatur. E.

LV. *Sapiens affectator q̄ sapientiæ* (ait experientiâ hac edictus Romanorum Sapientissimus ep. LV.) *adhæret quidem in corpore suo, sed optimâ sui parte abest, & cogitationes suas ad sublimia intendit, & velut sacramento rogatus, hoc quod vivit stipendium putat: & ita formatius est ut illi nec amor vita nec odium sit, patitur q̄ moralia, quamvis sciat ampliora superesse &c.* Et iterum Epist. eadem: *Nesciam, quō hinc iterus sim? quæ sedes expectet animam solitam legibus servitutis humanæ? vetas me cœlo interesse, id est, iubes me vivere capite demisso? Major sum & ad majora genius, quām ut mancipium sim mei corporis, &c.*

LVI. Quid



LVI. Quid verò Romanorum Eloquentissimus?

Sic mihi persuasi, inquit Lib. de Senectute, sic sentio, cùm tanta celeritas animorum sit, tanta memoria prateritorum, futurorumq; prudentia, tot artes, tanta scientia, tot iuvenia. Non posse eam NATVRAM, QVAE RES EAS CONTINEAT, ESSE MORTALEM. Plura hac vice de anima rationali non addimus, etsi longè plura de eâ quæri solere non ignoremus; quæ ipsa tamen cùm enumerasset ep. XXXIX. laudatus paullò antè Seneca tandem: Plus scire velle, subjungit, quam sit satis, intemperantia genus est.

LVII. Quin igitur illud potius demus operam,

ut dignos tantâ hâc perfectione nostrâ nos geramus, seu potius id quod optimum in nobis est perficiamus. Id verò in quoque optimum est ( utor iterum verbis Sene-  
cæ ex epist. LXXVI.) cui nascitur, quo censetur. In hunc  
ne-optimum quid est? Ratio: Hac antecedit animalia,  
Deos ( Deum ) sequitur. Ratio ergo perfecta proprium ho-  
minis bonum est, cetera illicum animalibus satisq; communia  
sunt. Et paullò pòst: Quid in homine proprium? Ratio:  
Hæc recta & consummata felicitatem hominù impletiv. De  
corpo autem ita philosophatur idem, epist. XIV.  
HIVS NOS NIMIVS AMOR TIMORIBVS IN QVIE-  
TAT, SOLlicitUDINIBVS ONERAT, CONTUME-  
LIIS OBIICIT. HONESTVM EI VILE EST, CVI COR-  
PVS NIMIS CARVM EST. AGATVR EIUS DILI-  
GENTISSIME CVRA: ITA TAMEN, VT CVM EXI-  
GET RATIO, CVM DIGNITAS, CVM FIDES, MIT-  
TENDVM IN IGNEM SIT. Quibus verbis, tanquam  
stimulo cordibus Christianorum injecto, eorum præ-  
sertim, quorum animus in fame, corpus in saginâ est,  
toti huic disputationi Colophonem  
imponimus.

bijoy



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-576035-p0027-4

DFG



